



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Augustus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



AUGUSTUS.

S. FIDES, SPES, CHARITAS. Virg. & Mart.

1. Augusti.

*Sobrius simus, induiti Loricam fidei,  
& charitatis, & galeam, spem  
Salutis.* Theff. Epist. 1. cap. 5. v. 8.

**F**elix Roma, cui, quas nullus unquam pingere satis bellè pictor potuit, vivas spectare virtutes licuit, FIDEM inquam SPES & CHARITATEM SOPHIÆ filias, Charitum Christianarum ipsissimam trigam. Ex his maxima XII. altera X. nati minima IX. omnes paucos annos, sed plurimas palmas numerant. Ecce enim virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet, sed matre duce & junctis copiis omnes vincunt. Igitur duello singulas aggredi Urbi præfectus statuit, & primò quidem Fidem. Contra hanc flagris pugnat, at tergum pro scuto objicit Fides. Sartaginem admovet ardentem ille, hæc ridet arietem. Ubera refecat gladius? gaudet fides ostentare hæc

AUGU.

hæc cœlo vulnera. Caput rescinditur, & coronatur scilicet. Ergo Spem aggreditur tortor, & nervos in virginem armat, at his ipsis fortior puella est. Jubetur proin ignis sævire: sed ad Virginem hic deficit, & in hostes ipsius pugnat, pice ardenti & bitumine perfunditur; nempe ad novam luctam inungitur. In hac sororis mortuæ amplexibus inhaerens, ense vincit etiam ipsa, dum cadit ente. Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus; suspenditur Charitas ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter ivisse in hostem credas, noveris in rogam suapte sponte insiliisse terebra post perfossam & gladio cœsam. Porrò mater magnanima Sophia, quæ & filias præsentiam suam & sese filiarum virtute hucusque animaverat, triduo post inter funera sua funus etiam ipsa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Romæ. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livio credam, *Ex Surio.*

MEDITATIO.

*De Fide, Spe, Charitate.*

1. **S**obriusimus induiti lorica fidei. Thess. c. I. v. 8. ad resistendum scilicet igneis suggestionum diaboli inquit Hyero, Plerique Christianorum non credunt, vel

vel si credunt stultissimi sunt, quia vitam vivunt fidei contrariam. Quid dices si plus exigetur abs te, quia plus, quam alii, accepisti? quanta dona in baptismo; quantas gratias actuales? quam salubria edoctus es? *Omnino nihil prodest habere nomen Sanctum sine moribus.* Salvian. & S. Cyprian. *verè Christianus non dicitur, nisi qui Christo prout valet moribus coaquatur.*

2. *Et Charitatis &c. Fides operatur per Charitatem,* Gal. 5. si linguis hominum loquaris, aut Angelorum, si facultates tuas dederis pauperibus, si fidem habueris ut montes transferas, si dederis corpus tuum ut ardeat, teste Apostolo, & charitatem non habueris, nihil tibi profunt omnia. Charitatis autem radix est gratia. Igitur conare, ut opera tua procedant *ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* I. ad Tim. 1.

3. *Et Galeam spem salutis* quia Spes communit caput; id est cogitationes fines, & intentiones, operum. Spes facit ut ad Deum referamus omnia cogitata, dicta & facta nostra. Ut resistamus diabolo, ut aggrediamur ardua, roborati ad omnia dura, vel suscipienda cum Sanctis, vel toleranda. *Vivere verè mortalis, Spes est vita immortalis:* Aug. in ps. 3.

## S. THEODOTE cum FILIIS. MM.

2. Augusti.

*Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite, quae nunc est & futurae.* Paul, 1, ad Tim. c. 4. Nu-

**N**umerabat Theodote in viduo Thoro  
 filios, quos è conjugè demortuo genu  
 erat, duos, quos verò Christi amore adopta  
 verat, vinc̄tos ac captivos longe plurimos  
 Talem Diocletianus Leucadio, qui mirè ejus  
 nuptias ambiebat, tradit, quæ dum nullis  
 eam blanditiis capi videt, & domum ducere  
 jam desperat, vinculis certè captam ad Bithy  
 niæ tribunal adduxit. Hic matris pectus pro  
 filiorum latus oppugnaturus Evodium pri  
 mo, tum minimum natu filium cuniculis ve  
 borum subruere annititur. His ubi nihil pro  
 ficere se videt, in apertam vim, verbera atro  
 cissima prorumpit. Sed plena animis verba  
 quibus Mater ad constantiam suos firmabat  
 plus poterant apud filios, quàm verbera ty  
 ranni. Interea Hyrtacus homo, non jam se  
 leratus, sed scelus, pudicitia Matronali ma  
 num afferre attentat. Sed qui pro hac tuen  
 da excubabat Angelus, irruentem ita pugna  
 excepit, ut, quantumvis impudentis, vul  
 tum largo sanguine erubescere tamen faceret.  
 Post hæc præses matri geminam mortem mu  
 natur, dum hunc sub oculis ejus filiis gemi  
 nis intentat. Sed illa spartanâ voce hoc un  
 cum votum suum esse dicebat bis antè quàm  
 semel mori, & filiorum prius oculos, quàm  
 suo

suos claudere; scire se ad hoc filios genuisse, ut essent qui pro patria, Cœlo occumberent. Ergo in flammantem fornacem unâ omnes injiciuntur, Et ecce continuò superi probaverunt & ad sese rapuerunt aurum. *Ex act. S. Anast.*

## MEDITATIO.

*De pietate.*

1. **N**on potuit S. Theodote salûbriora rudimenta dare filiis quàm pietatis. *Pietas ad omnia utilis.* Triplex autem est. Primò pii hominis est honorare Deum, à quo creatus est & conservatur: quod officium adimpleveris si maximum honorem habeas omnibus quæ spectant ad cultum divinum, nimirum Sacerdotibus, templis, Ceremoniis, precibus Ecclesiæ. Quidquid est in palatiis regum, magnum est; magnum quoque & sanctum est, quicquid est in domo Dei, etiam quæ parva videntur.

2. Pii hominis est parentes colere. Experta est hanc pietatem in prolihus pia mater Theodote. Deus præcipit & ratio docet hanc pietatem. Si jam mortui sunt, ora Deum pro illis: hoc quidem ultimum, sed saluberrimum est officium pietatis. Nunquid etiam tuus in illos amor nimis terrenus est? quoniam tam parum sollicitus es de illorum salute?

3. Felicem se prædicabat Theodote quòd filios genuisset, qui pro patriâ cœlo occumberent. Hominis pii tertium officium est amare patriam suam. Recta autem erit Charitas erga patriam, si præluceas exemplo tuis civibus, & probitate tuâ fias ornamentum

tum tuæ civitatis. Cede patriâ prompto ac libenti animo, si id Dei obsequium exegerit; quoniam orbis universus domus Dei est, & Patria Christiani. *Non exilium metuo, domus omnibus una est.*

**S. PETRUS** Episcopus

3. Augusti.

*Scio opera tua quia nomen habes, quod vivas & mortuus es. Apoc. 2. 13.*

**E**X Principum Salernitanorum stirpe ajunt oriundum **PETRUM**. Sed ut in nobiliorem etiam familiam transfiret D. Benedicti, non dubitavit purpuram cum cucullo mutare. Attulit tamen hic alteram illi purpuram, cum Pont. Anagninæ ab Alex. Pont. Max. datus est. Sed nos illud multò pluris facimus, Coelitibus tam familiarem **PETRUM** fuisse. Etenim cum dubitatio suborta esset Agnaniensibus, num D. Magni ossa penes se haberent, eam ex omnium animo delevit ipse Magnus, & testis suus ipse verissimus famina à paralyti afflictæ (excubare eam **PETRUS** ad tumbam Divi jusserat) sub noctem conspicuus suam præsentiam Episcopo, simul sanitatem agræ nuntiavit. Idem D. Magnus **PETRO** oranti visus, iter illi Constantinopo-

lim indixit, & simul itineris rationem edixit, ut quod valetudinem Imperatori allaturus, & invicem, quidquid postulasset, esset ablaturus. Itur ergo Constantinopolim ad Michaëlem. Sed negat hic se vel Anagniam vel Medicum D. Magnum nôsse. Ut igitur nosceret, nocte insequentem cum morte luctanti Imper. spectandum se obtulit ipse Magnus & cum MAGNO VIRGO Maxima, monuitque PETRO crederet, medicinam morbo facturo. Accersitur igitur hic & valetudini restituitur Michaël. Rogat quâ medicinâ? Saluberrimo MARIÆ & Magni nomine. Pretium operæ porrò PETRUS suæ Anagniam hoc retulit, ut sumptus Imp. Michaël faceret in ædem maximam ædificandam suffecturos. Sed neque hæc licet magnifica explere oculos potuit PETRI. Ad cœli igitur templa abiit. Eodem tendis? per nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

## MEDITATIO.

*De morbis peccatoris.*

1. **C**OEcus est Peccator, non videt bona Paradisi, non inferni supplicia, non mundi vanitatem: videt duntaxat splendorem auri, dignitatum fucum, & vanas deliciarum illecebras. Age verò peccator aperi oculos, vide deformitatem peccati, virtutis pulchritudinem, Intuere brevitatem bonorum terrenorum, quæ ut somnia prætereunt.



2. Ager est peccator, ut ex humorum intemperie corpus, ita ex affectuum perturbatione animus ejus laborat; sic impeditur cupiditatibus, ut sursum tendere nequeat. Quare causam peccatorum tuorum, & sanè deprehendes omnia ex immoderatis affectibus promanare. Scrutare animum tuum, vide quidames, desideres, odio habeas; & si quid tuis in affectibus effrenatum, aut minus rectum deprehendas, dic *Domine, quem amas infirmatur.*

3. Non solùm ager, sed etiam mortuus est peccator, cum gratiam amiserit, longè difficilior est peccatoris conversio quàm mortui suscitatio. O Amantissime Jesu? qui vitam profudisti, ut nos à morte liberares, suscita nos. Fac quod in te est, ut ad vitam gratiæ revoceris, & ora Deum ut tui misereatur. *Aegrotus sum, ad medicum clamo: cæcus sum ad lucem propero: mortuus sum, ad vitam suspiro, tu es medicus, tu es tu vita Iesu Nazarene.* August.

## S. DOMINICUS Confess

4. Augusti.

*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Matt. c. 5.

**A**lterum ecce Orbis labantis columen DOMINICUM. Certè Innoc. Pont. Max. (subji

subjicere humeros ruinam meditati Lateranenſi Aedi vidit. Certè flagrantem à terge-  
 mino vitio orbem, totidem telis caſtigaturo  
 FILIO MATER clypeum cum FRANCISCO  
 DOMINICUM objecit; ut jam minus mirer  
 necdum natum ſive ore facem, ſive fronte  
 ſtellam prætuliffe. Et verò etiam hodie lucet  
 in filiis, qui dum ſanctioribus roſis Lili-  
 um (Virginem) colunt, dignos ſe probant,  
 quos (quemadmodum ipſe DOMINICUS ha-  
 buit videre) velut pullos ſuos nunc pallii ſui  
 alis foveat MAGNA MATER, nunc dormien-  
 tes inviſat benè precabunda. Illud omnium  
 bono ex *Virgine* Divus intellexit, toties advo-  
 cationem pro nobis in Cœlis ad Filii pedes  
 facere, quoties è terris ADVOCATAM ſolen-  
 ni formula *clamamus*, ut qui rei non clamant, ſibi,  
 non Advocatæ adſcribant, ſi pereant. Por-  
 rò DOMINICUS quatuor omninò infulas,  
 quas alii tam ſtudioſè capiti quærunt, gene-  
 roſo faſtu pedibus ipſe ſubdidit; ter noctu pœ-  
 nas à tergo ſuo, pro ſe primùm, tum pro vi-  
 ventibus in graviore noxa, demum pro agen-  
 tibus in igne piaculari Manibus expoſcit. Mit-  
 to in homines, dæmonas, adeoque Superos  
 Imperium, quippe cùm toties jam hos exo-  
 raret, quos oraret. illud memorandum,

qui MARIÆ vixerat, non sine MARIA demor-  
tuum esse. Affuit hæc, neque sola, sed inter  
Filii & Cœlitum comitatum ad astra abdu-  
xit. Viam inquiritis? per Rosaria iuit Do-  
MINICUS. *Ex Vita.*

MEDITATIO.

*In vitam S. Dominici.*

1. **U**bi primum S. Dominicus baptizatus, scilicet  
apparuit in eius fronte: quo Symbolo Dei  
significare voluit, eum fore sidus fulgidissimum  
cujus radiis universa Ecclesia illuminaretur. Mirum  
quantum ab ipsis incunabulis, pietatem, pœnitentiam,  
aliàsque virtutes adamavit! An Deo consecra-  
sti vitæ primitias? Ut S. Dominicus, ad quid referas  
& in quo consumitur vitæ tuæ tempus? *Va temporalium  
quo non amavi te.* August.

2. Hoc sidus magnam radiorum copiam oriens  
miserat: Ast cum meridiem attigit emisit longè ma-  
jorem, adeo ut universum terrarum orbem tum suis  
tum fratrum sui ordinis concionibus illuminârit &  
inflammârit. Si propter vitæ tuæ conditionem alio-  
rum salutem vacare minùs potes, tuæ certè diligentè  
vacare debes, & aliis bono præluere exemplo.

3. Astra non extinguuntur, cum nostris ex oculis  
subducunt sese; immò cum oriuntur & occidunt  
dem fulgent luminibus. S. Dominicus in Ecclesia semper  
per miro splendore præfulsit, & incredibili constan-  
tiâ ad DEI gloriam & animarum salutem ad mortem  
usque incubuit. Labora pariter; castiga corpus tuum

Pœn

Pœnitentiã age. Si quis velit tibi suadere ut operibus pœnitentiæ relictis oblectamentis indulgeas, dic: *Ista felicibus: ego deliqui in Dominum, & periculis in æternum perire.* Pacianus.

## DEDICATIO S. MARIAE AD NIVES.

5. Augusti.

*His qui vendebant columbas, dixit, auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Joh. 2.

**A**Nnus agebatur Christianus supra CCC LXV. quando Romæ civis fuit patricii sanguinis & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto exspectas Mariane, cum IOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjuge suo, fuere opes ingentes, sed spes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cœlo adscisco? & an explere dignioribus nominibus ceras possum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus est. Imò IOANNES non sum, si hæredem MARIAM non scribo. Eja igitur Virgo, tu sola

F 4

jam

jam tabulas imple. Filio si careo, certe tu non cares, qui cum animum æternum oblectem. Audiit IOANNEM MARIA, & assemnabilem in Montem Exquilinum conferre iussit templo exadificando eo in loco quem postero manè nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus, & facilius utique grandinem quàm nives daturus. Adit tamen IOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pontifex Max. in somno à Virgine monitus accedit & fundamenta templi jacit, quod per omnem orbem gerit. Miraris Sodalis Miraculum? laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego Virginita templa monstrabo. *Ex Brev.*

### MEDITATIO.

#### *Quomodo Deus in templis sit honorandus.*

I: **A**di sacras ædes, quàm poteris, sapissimè sunt domus DEI, ubi præsertim vult honorari tibi gratias dabit DEUS, quas negabit alibi. Hic quaere consilium, solatium à DOMINO. In afflictionibus, in necessitatibus templum sit refugium tuum. Huc si concesseris vivâ fide & humilitate non fictâ nihil non impetrabis. Sed prò dolor! nos Ecclesis ludicra anteponimus nos altaria spernimus & theatra honoramus. *Salvian.*

2. Noli

2. Noli facere domum DEI domum negotiationis: is autem in templo negotiatur, cujus animus cum orare deberet negotiis sæcularibus immergitur. Sathanas item in templo negotiatur, cum mentem hominum ad res vel turpes, vel certè hujus loci alienas allicit. in templum venisti Deum oraturus: Ora attentè & humiliter.

3. Attamen quælibet negotiatio in templo non prohibetur: ibi quippe licet terrenis bonis emere æterna, & cor suum Deo dare, ut cœlestibus flammis ardeat. Effunde lacrymas, & gratias profundet Spiritus sanctus. Pete veniam à Domino & veniam dabit. *Quoties in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* Cypr.

## S. JUSTUS & PASTOR MARTYRES.

6. Augusti.

*Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.*

**J**USTUM & PASTOREM Germanos Fratres J duo sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi feliciori sorte unà uterque è cœlo adolescentiæ præluceret, involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, &

F 5

Com-

Complutum jam pervenerat; cùm hi pueruli, abjectis ultro tabellis, è ludo literario in campum prodire properârunt, factis ostenturi, quantum in Christiana Philosophia profecissent. Dixisses ad gremium matris currere, ita ad carnificum manipulos parili cursu contendebant. Dacianus ubi hæc inaudit, virgis cædi imperavit. Sed illi ad imbellem scholæ metum ridere scilicet; supplicia hæc timidæ ætatis dicere, quæ sæpe nec pueris lacrymas excuterent. Alia itaque tormenta promeret, tyranno digna, & cum iis remissibi cogitaret, qui prætextam cum superstitione jam posuissent. Et verò victoriam jam tum desperans Dacianus, non admissos educi extra urbem ad supplicium iussit. Illi in amplexu ruere, novo more frater fratri mortem gratulari; hoc demum Christianæ Philosophiæ esse, mortem pro Christo contemnere; hoc Germani Fratris, Germano immortali, nec satis disjungi, quos uterus matris junxisset. Ita animosi, & pleni, quæ in vultu etiam promicabat, lætitiâ, caput securi subdiderunt. Age nunc, quid ad hos discipulos Complutum: vel ipse cordubensis Philosophus? Certè Dacianus quamprimum aliò se contulit, non ausus porro, cum viris

con.

congrredi tam turpiter à pueris victus. *Ex Baron. & Lippeloo.*

M E D I T A T I O.

*De Innocentia*

**I.** *N*isi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum cælorum, Inquit Christus. Parvuli innocentiam baptismi nondum fædârunt. Si tu maculâsti pœnitentiæ lacrymis lava animam tuam, nisi velis piacularibus ignibus purgari. Elige: Vide an pœnitentiam in hac vita vel ignes in altera malis. Si te lethalis peccati conscius mors occupet æterni te ignes manent, qui nunquam peccatum tuum purgabunt. duplici viâ itur ad Cælum *in quod nihil coinquinatum intrabit.* Innocentiâ & Pœnitentiâ. *Primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere.* Cyprian.

2. Nihil debes agere, nihil dicere quod vitæ integritati ac innocentia repugnet. Locutio est cordis interpres, & ex abundantia cordis os loquitur: à corde itidem manat malitia cujuslibet actionis, Igitur serva cor tuum quia ex ipso vita & mors:

3. Lætare si quando innocens accusaris vel pateris, quòd Christo sis similis. Sustenta te rectè factorum conscientia conquerere cum Jesu de cruce pendente ut amicus cum amico, de facta injuria, dic: ah! nosti Domine falsum crimen mihi objici: sed alia commisi duriori supplicio digna.

---

**S. ALBERTUS Confessor.**

7. Augusti.

*Propter*



*Propter vos egenus factus est, cum  
esset dives, ut illius inopiâ vos di-  
vites essetis. Paul. 2. Cor. 3.*

**E**TIAM ALBERTI splendorem, brevia ab  
Utero Matris lux indicavit. Et rectius  
Mariæ quàm hujus filium dixeris, quippe  
quam sterili ea lege illa dedit, ut bonâ fide suo  
servitio olim hæc redderet. Moram ipsis, qui-  
bus jungere se ALBERTUS parabat, Carmeli-  
tis quos vocant, interponentibus, graviter  
nihilominus Deipara parentes objurgavit.  
Nimirum furtum hoc esse cœlo dicatum ter-  
ris velle mancipare, quid simiæ catulum ama-  
rent? parum interesse venire an amplexu  
partum enecarent: ut dare prolem, ita aufer-  
re cum luberet, superos posse. Audite paren-  
tes omnes: his monitis illi manum Deo, fi-  
lium omnibus disciplinis excultū, posthabi-  
tis etiam regiæ puellæ nuptiis, religioni dede-  
runt, quoque magis jam Virgini sacrificium  
placeret, suismet manibus ad ejus aram can-  
didissimam hostiam stiterunt. Hic ALBERTUS  
Orcum rivalem sponsæ vultum præ se feren-  
tem, res sibi scilicet jussit suas habere. Sub-  
inde fatigatis obsidione & fame civibus tres  
cum comœatu triremes cœlo remige impe-  
travit.

travit. Hebræos complures aquarum vi abreptos in sicco destituit, sicco ipse pede undas percurrens. Jam mortem quam cœlesti voce edoctus obiit Anno MCCXCII. æs campanum an sponte sonans, integritatem corpusculi odor suavissimus, beatitatem animi duo Angeli prodiderunt, qui dubiis an ut cœlitem colerent, an ut mortuum lugerent hominibus, sub initium rei divinæ illa verba Os Justi præiverunt. Nostras mortes ô quam rectè legemus? *Ex surio.*

MEDITATIO

*De causis amanda paupertatis.*

1. **C**OR nostrum ut refert D. Paulus Dei templum est: at in eo Deus non habitabit, nisi vacuum sit rebus profanis: itaque paupertatis est rejectis rebus creatis parare hospitium Creatori. Difficile est divitiis abundare, & divitias non amare: quamobrem tutius est omnia relinquere, & imitari Dominum Jesum, qui nudus in cruce mortuus est. Beata paupertas cujus beneficio Deum possidemus? *nudum Christum nudus sequere: durum, grande, difficile! sed magna sunt premia.* S. Hieron.

2. Si minus divitiis, amore certè divitiarum careas: nullum scelus admitte, cupidine plura, ac plura semper acquirendi. Non cruciaberis bonorum amittendorum metu: facilius eleemosynam pauperibus erogabis. Bonorum cupiditas est radix omnium malorum.

Seru-

Scrutare animum, & perspicies antiquiorem tibi esse bonorum possessionem quam Dei.

3. Veradimum felicitas est parum habere nec plura desiderare. Unde tædia, anxietates, timores, assidui labores tum animi, tum corporis? nunquid ex divitiarum cupiditate: hæc enim cupiditas est implacabilis tyrannus, qui nullam finit carpere partem quietis. Ille nactus est felicitatem cui satis est quod habet. *Vere divitie sunt, paupertas divitiarum.* Clemens Alexand.

## S. MYRO EPISCOP.

8. Augusti.

*Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Matt. 24. v. 45

**N**ullæ ceræ ornârunt MYRONEM, sed virtutes multæ, quas quidem neque numerare in hac pagella possumus, uti nec pauperes, quos pulchro ordine stantes per atria quotidie laudare nobilem ejus manum vidisset. Seminabat ille in hos, quidquid ager, quem colebat, dives dedisset, in fures etiam liberalis. Nam fortè ex his XII. in horreum se penetrârant MYRONIS. Ibi cum saccos frumento

mento, scelere animum onerassent, iniecit  
 Deus furacibus manibus arcana vincula, cre-  
 vitque facinoris pondus: ut ne humo jam  
 tollere onus possint. Intervenit interea MY-  
 RO, cum illi trepidi alia vincula sperarent,  
 ille missionem dedit, & tergo improborum,  
 non quod meruerant, patibulum, sed saccos,  
 de quibus diximus, benè fartos suâ manu im-  
 posuit, emisitque gravi supplicio mactatos.  
 Interea nihil decessit de MYRONIS opibus,  
 quas ille scilicet eo loco, ad quem fures non  
 adrepunt cœlo recondebat. Sub hæc virtus,  
 sacerdotio, mox Episcopatu & miraculis est  
 honorata. Nam & per medium fluvium Tri-  
 tonem viam sibi fecit, & misso post, pro suo  
 in illum imperio, scipione, coire iterum  
 moyles noster iussit. Sed & Herculem in illo  
 agnovisses, cum ingens monstrum draconem  
 clavâ, hoc est, oratione dejecit. Exinde reli-  
 quam vitam transegit tumulis Divorum ex-  
 ornandis, dum centenarius eundem hono-  
 rem etiam ipse meruit. *Ex Menais.*

MEDITATIO.

*De fidelitate servorum Dei.*

1. **P**Riorem ac potiozem fidem ducas erga Deum,  
 quam divitias, honores. & ipsam vitam, ut  
 malis carere his omnibus quam peccare. Fidelis est  
 Deus

Deus in iis quæ sponte promisit, tu quoque fidelis esto in iis quæ Deo promisit, quod si Deo datum in baptismo fidem fregisti, Deus servabit suam, & committet mala quæ minatur in sacris literis. *Da mihi Domine ut amem te quantum debeo.* Aug.

2. Esto fidelis etiam in minimis rebus: in iis siquidem purius elucet amor Dei, timor arcet à lethalibus peccatis, amor verò à venialibus: periculosa sunt illa peccata quæ levia dicuntur, utpote quæ viam mutant ad graviora ac plures in nos accersant calamitates: hæc enim morbis, afflictionibus plerumq; puniuntur in igne purgatorio senties gravitatem noxarum, quales leves duxisti.

3. In omnibus demum esto fidelis, ubique Deo serviendum est, cum sit ubique terrarum, persevera usque ad mortem in fideli obsequio Dei: quia is dicitur taxat salvus erit qui perseveraverit usque ad finem. Tibi liquidò constat honores, divitias, voluptates meram esse vanitatem, quid ergo iis inhias neglectis cœlestibus: *Omnia colit humanus error præter omnium Conditozem.* Tertull.

## S. ROMANVS M.

9, Augusti,

*Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Marc. 16

Levi

**L**Evita Laurentius bonum opus operatus  
 est, non tantum, cum signo crucis cœ-  
 cos illuminavit, sed cum patientiæ suæ exem-  
 plo, Martyrem cœlo peperit. Miles hic erat,  
 ROMANUS nomine, dum laminis candenti-  
 bus semiustulatum Laurentium inter crucia-  
 tus ludentem aspiceret, capere non potuit,  
 in tanto cruciatu, tantam vultus serenitatem  
 & lætitiâ oris, ultrò testatus, nisi veri Nu-  
 minis, roboratione constare, inter tam acer-  
 ba supplicia, non posse portentosa hæc gau-  
 dia. Sic animatum confirmavit in sententia  
 cœlestis genii intuitus, qui formosi juvenis  
 sub persona, sudorem Laurentio abstergebat.  
 Ita ROMANUS, reducto in carcerem Martyre,  
 & ipse secutus, ingressusque ergastulum a-  
 quam obtulit, supplicique genu baptismum  
 à S. Levita petiit; non ut cordis æstum infuso  
 fonte sopiret, sed ut velut in ustrina, laticis  
 sacri aspergine, fortiùs cor ignesceret. Voto  
 potitum fidei profitendæ novus S. ROMA-  
 NUM invasit ardor, quo Valeriani tyranni  
 succensa ira, jam non nisi Christianum  
 se jactantem, gladio cœsum etiam  
 Martyrem fecit. Ignem scili-  
 cet gladio fodicans.

*Baron.*

G

MEDI.

*De vita Christiana.*

1. **S** Hieronymus nobis præbet Argumentum hoc  
 .jus meditationis in Epist. ad Rusticum. Nihil  
 (inquit) *Christiano felicius, cui promittitur regnum celo-*  
*rum: hinc vera felicitas. Si sum Christianus, sum Fi-*  
*lius Dei & hæres paradisi. O me divitem! ait Chry-*  
*quoniam gratiam habens Deum habeo bonorum*  
*mnium fontem! Age anime mi! avola ad cælum, c-*  
*natus es: terram despice, utpote quæ curis tuis in-*  
*igna sit.*

2. *Nihil laboriosius* dicit S. Hieron. Vitâ Christianâ  
 Ne nobis ipsi blandiamur: fimus, non nascimur Chri-  
 stiani: militandum est non semel quidem: sed singu-  
 lis diebus, & ad ultimum usque spiritum, adversus  
 mundum, carnem, & dæmonem. te sequar igitur  
 domine! caput Spinæ coronæ, & humeros crucis  
 præfers, procul flores, procul deliciæ. An posses  
 deliciis indulgere patiente domino meo? *sunt non na-*  
*cuntur Christiani Tertull.*

3. *Nihil fortius* (addit Hieron.) Christiano: qui  
 vincit diabolum, qui despicit mundum, & habet  
 vinum auxilium, quoties illud petit à domino. Vides  
 quid passi sint martyres divinâ gratiâ freti. Quid  
 ageres tu ipse, si tormentis probaretur fi-  
 des tua? Christianus jugi mortifica-  
 tione parare se debet ad marty-  
 rium. *Vita Christiani disci-*  
*plina martyrij.*

Tertull.

S. LAU

S. LAURENTIUS M.

10. Augusti.

*Qui amat animam suam, perdet eam: Et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam. Joh. cap. 12.*

**D**ucebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAURENTIUS exostulare cum hoc cœpit, non quòd ad præmia iret, sed quod sine filio iret. Enim verò qui ad aram socius fuerit, ad crucem se futurum. Ad hæc Sixtus: suum esse præire, Ministri sequi; suum, hæredem vitæ relinquere, cujus si fuisset, propediem etiam mortis futurum, thesauros interim Ecclesiæ Tyranni manibus subduceret. His lætior LAURENTIUS confestim opes omnes sacras in pauperum sinus abdit, hi cœlo condunt. Valerianum deinde hiantem & inhiantem ad templum ducit, & pauperum longo ordine de ponte gregem monstrans, hi, inquit, thesauri, quos orbis habet, sunt maximi; quin tu hos ambis avarus, hos foves, & si sapis, his tuum etiam jungis ærarium. Hic imperator virgas, flagra,  
G 2
ignes



ignes inclamare, & hæc omnia continuo  
 LAURENTIO carnifices admovere, ut jam  
 abeuntem animam DEO martyr commenda-  
 ret. Sed è Cœlitibus adfuit, qui sudorem  
 Athlethæ & sanguinem linteo abstergeret.  
 Tyrannus interim OS LAURENTII saxis, hic  
 verò aures Tyranni verbis liberrimis pulsavit.  
 Ad extremum craticulæ super injectus, & len-  
 to igne tostus, non tamen insultare Valeria-  
 no destitit, sed subinde arridens illi, *verte*, ex-  
 clamavit, & *manduca*. At cœli, quos jam dudum  
 odor nobilissimi convivii exciverat, ad se tam  
 nobile ferculū rapuerunt, & convivas, si modo  
 placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lippæ  
 & Baron.*

MEDITATIO.

*De S. Laurentio.*

1 **S** Laurentii pectus sic amore divino æstuabat, ut  
 corpus ejus (ait S. Aug.) subjectas flammæ  
 non sentiret. Quisquis ex animo Deum amat, is cor-  
 pus, delicias, & vitam odit, adeò, ut continuo cupiat  
 dissolvi. Si ita est amantissime Deus! quàm pa-  
 rùm te amo! quàm malè utor tempore vitæ meæ?  
*Nam perdit quod vivit qui te non diligit. Aug.*

2. Mira prorsus est ejus patientia: non enim ex-  
 spectat sed quærit tormenta & ut currum triumphalem  
 sic feralē craticulā ascendit: imò ut acerbius esset sup-  
 pli-

plicium, urget carnifices, ut versent ipsius corpus in a-  
liã partẽ. Si amaveris plus æquo corpus tuum, si mol-  
lius illud curaveris, te manent ignes inferni, vel cer-  
tè purgatorii: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut  
æternum gehennæ non patiaris incendium.* Aug.

3. S. Laurentius cœlos aspicit & agit gratias Deo,  
quod holocaustum suum admittere dignatus sit in o-  
dorem suavitaris. Hæc duo imitare in afflictionibus,  
levatis oculis pete à Deo constantem patientiam, tum  
ipsi gratias age quod dignus habearis pro ipso aliquid  
pati, & quod te flagellet, ut coronet. O Corporis  
mancipium! Deo gratias agis, dum concessis deli-  
ciis corpus tuum curat, & de Deo quereris? quando  
subinde afflictionibus curat animam tuam. Num an-  
teponenda est cura animæ curæ corporis?

---

## S. ALEXANDER EPISCOPVS.

11. Augusti

*Nolite diligere mundum, neque ea  
quæ in mundo sunt, si quis dili-  
git mundum, non est charitas pa-  
tris in eo Joh. Epist. 1. 2.*

**I**N uno vultu & Philosophum & Carbona-  
rium & Episcopum & Christi martyrem a-  
gnosce. Poterat equidem ALEXANDER in-

G 3

ter

ter sapientiæ candidatos facile princeps esse, cum ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiori ambitu sordidatus coelum prensare, & inter sylvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea adventit Gregorius Pont (is qui à magnis mirisque factis nomen habet) Comanis præfulem daturus. Hic cum omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectarent, unus Gregorius virtutē potiùs ait in solium extollendā, ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quinigitur (cum risu è turba nesciens quis subdit) dictatorem ab aratro nobis accertè à carbonibus suis ALEXANDRUM abducere imperas splendentemque jam antè à rogo suo infulā insuper exornas? Enim verò Numine ita suggerente jubet abduci hominem Pontifex: mox indolem & modestiam altiùs æstimans, pro imperio vitæ ordinem sibi explicare; eā intellectā & sordibus abstersis mitrā indui, indutum ad concionem dicere jubet. Tunc enim verò ALEXANDRUM præfulem suum cives jam non inviti salutarunt, finitque cum plausu fabula. Ille cum sanctè diu munus suum administrasset, à fidei hostibus demum igne exustus iterum carbones dedit, sed quibus

bus Ecclesia hunc diem pulchrius quàm gemis  
 suos olim Antiquitas signat. *Ex S. Greg:  
 Thaum. & Virid. Rad.*

M E D I T A T I O.

*De periculis mundi.*

1. **M**undi placita tantùm opponuntur placitis  
 Christi, ut nemini mirum videri debeat, si  
 in mundo spernatur virtus & vitium honoretur. *Va-  
 de & vende* (inquit Christus) *Omnia que habes & da  
 pauperibus.* Vade [inquit mundus] & quoquo modo  
 compara tibi ea quæ non habes, & indulge volupta-  
 tibus. Parcendum Christus; ulciscendum mundus  
 clamat: perinde quasi humilioris sit animi qui par-  
 cendo Christum imitatur. Vide singula mundi placi-  
 ta & deprehendes omnia Christo adversari.

2. periculosus id genus placitis accedunt parva e-  
 xempla: in mundo quippe studet quivis honoribus,  
 divitiis & voluptatibus, & pauci admodum seriò suæ  
 consulunt salutem in mundo volitat crimen propalam  
 & sine rubore: ipsa verò virtus delitescit, metuens  
 diceria improborum, qui offenduntur ab iis, qui se  
 Christi discipulos profitentur. *Malos quisquis non imi-  
 tatur offendit.* Cyp.

3. Mundus obedit consuetudini, & non rationi aut  
 Evangelio: illa consuetudo vitia celebrat, & virtutes  
 dedecore aspergit. Attende ad tria hæc pericula. Vi-  
 tam institue ex Evangelii præscripto non ex consue-  
 tudine: præsertim his novissimis temporibus, quibus,  
*præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt: quid est aliud*

omnis catus Christianorum quam sentina vitiorum? Sal-  
vianus.

## S. CLARA VIRGO

12. Augusti.

*Dum Lucem habetis, credite in lu-  
cem ut filii lucis sitis. Luc. 12,*

**F**RANCISCI illustris partus Virgo CLARA est,  
mater eadem omnium Virginum, quae  
Francisci institutum æmulantur, jam antè  
parenti suæ quàm nasceretur, à Christo è cru-  
ce laudata. Ergo unicum sexûs sui miraculum  
ea facere molles Virgunculas docuit, quae  
multi in viris miramur, pauci imitamur. As-  
perrimam vitæ rationem, atque ultimam,  
quam in ordinem suum invexit, paupertate  
cordi Deo esse, vel tunc probavit, quan-  
do abundare in vacuo etiam vase oleum fecit,  
& dimidium panem quinquaginta omnino  
Virginibus sufficere. Neque erravero, puto,  
si Moyfi etiam foeminam æquiparavero. Cer-  
tè obsidione gravi cùm Assisium cingeretur  
precibus ante Eucharisticum Epulum CLARA  
depugnans omnes in fugam hostes egit, cer-  
tiorque de victoria ab ipsomet sponso Christo  
est facta. Ab hoc aliàs nunc ad Nascentis cu-

nas

nas, nunc ad patientis tormenta spectanda  
 cum evocata esset, Crucis deinceps signo ita  
 usa est, ut contra morbos Alexiteriarum,  
 contra Orci minas Panopliæ vice esset. Jam  
 moriens uti è terris cum purpurato senatu  
 summum Pont. ita è cœlis cum candido Vir-  
 ginum agmine Virginum Reginam, & cum  
 hac summum Numen ad se pertraxit; itaque  
 in cœlo fuit, antequam fuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

*In vitam S. Clare.*

1. **S.** Clara pingitur manu tenens Augustissimum  
 Sacramentum, expressit illa virtutes Jesu Chri-  
 sti in hoc Sacramento delitescens. Hic Christus  
 pauperrimus est, omnibus siquidem thesauris & divi-  
 nis attributis nudatus apparuit. S. Clara fuit quoque  
 pauperrima: Ordinem monialium instituit quæ solis  
 eleemosynis vitam suam sustentarent. Ut paupertate  
 Christus inveniret, de cœlo descendit: tu verò  
 ut fugias eam, ad inferos præceps ruis. *Felicitas mag-  
 na Christianorum quibus datum est, ut paupertate emanet  
 regnum cœlorum. S. Aug.*

2. Nihil castius Christo in Eucharistia, longè est à  
 sensuum voluptatibus, quippe qui in eo sit mortui in-  
 star; S. Clara studio castitatis, usque adeo jejuniis &  
 austeritatibus conficiebat se se, ut necesse fuerit S.  
 Franciscum ejus duriori vivendi instituto modum po-  
 nere. Quid ad hæc tu delicatule? quem terret vel so-

la cogitatio mortificationum, quas hæc virgo alacri  
animo quæsit.

3. Admirabilis est obedientia Christi in Eucharis-  
tia. Obedit omnibus sacerdotibus, omni tempore  
& loco. Ita S. Clara obediebat S. Francisco: ita tu  
quoque debes obedire præpositis. Considera quo-  
modo Christus obediat, & in Eucharistia, & in cruce  
ut in posterum facilius obedias iis, qui vicem gerunt  
Jesu Christi.

## S. CASSIANUS MART

13 Augusti.

*Non est discipulus super magistrum  
nec servus super dominum suum.  
Si Patrem familias Beelzebub  
vocaverunt, quanto magis do-  
mesticos ejus.* Matt. 10.

**P**ulchrius longè CASSIANUS post Pon-  
tificatum, quem apud Brixentas gesserat,  
quàm post Regnum olim Dionysius, ludum  
in foro Cornelii exul aperuit, non ignarus has  
demum illas esse rasas tabulas, à quibus nec se-  
nectus mores expungat, quos olim infantia  
inscripsit. Sed heu quoties juvenus indi-  
gnum tuis Doctoribus Minerva ingrata per-

solvit

solvit? Rapitur ecce ad Iudices CASSIA-  
 NVS, & impietatis in Deos damnatus pueris  
 traditur excarnificandus. Nulla mora. Con-  
 volant velut ad ferias literarias, pessimè feria-  
 ti, & ad poenas Magistrum nudum discipuli  
 vocant. Pars tabulas capiti illidunt frangunt-  
 que, pars graphiis, nunc punctim, nunc  
 verso stylo caesim invadunt, vulnera identi-  
 dem conviciis interpolantes. Alii nunc de-  
 mum sibi literarum videri Præceptorem, cla-  
 mare alii; rogare, num rubrica hæc placeret?  
 num amplius satis latusque stylus esset? sātne  
 acutum foret epigramma, quod exararent?  
 Alii denique hortari se mutuò, ne otiosi es-  
 sent; hoc præceptoris semper unicum præ-  
 ceptum fuisse, nunquam stylum ponere,  
 semper aliquid scriptitare. Et fortè unus è  
 turba aliquis: ingrati non erimus CASSIA-  
 NE Magister? multas fateor tibi debemus,  
 sed, hem! quas accepimus, omnes reddimus,  
 & cum foenore, plagas. Quærebat interea,  
 per mille vulnera exitum ingens anima  
 nec reperiebat, usque dum om-  
 nia in unum confusa victrici  
 in coelum viam fecerunt.

*Ex Erudent.*

ME.



## MEDITATIO.

## De Martyrijs Impiorum.

1. **H**abet & mundus suos Martyres quos pungendo conficit & dæmoni immolat. Avarus pungitur ad mortem usque curis divitiarum. Nisi enim divitiæ pungerent Salvator eas spinis non comparasset, habentem pungunt curis, ne amittat, non habentem pungunt, ut obtineat. *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Si videt potentiorum se, timet raptorem, Si infirmiorum, suspicatur furem. Quam felix qui se his spinis extricare potest.
2. Etiam voluptas habet Martyres, quos pungendo cruciat, & enecat. Nunquam gustatum est mel voluptatis; & non continuo inhæsit mortis aculeus. *Modicum mellis gustavi, & ecce morior* dixit Jonathas, sed melius peccator dicet. *Ecce morior* mortis aculeus est, recordatio mali patrati. *Ecce morior* mors prima peccantis animæ est privatio gratiæ. *Sicut exspirat corvæ cum animam emittit, ita exspirat anima cum Deum amittit.* S. Aug. Serm. de verb. Dom. *Et ecce morior. Pars illorum, erit in stagno ardenti igne & Sulphure, quæ erit mors secunda.* Apoc. 21.
3. S. Cassianum æquè puerorum ferrei styli, quàm contumeliis & lannis aculeatæ linguæ pupugerunt. S. Bern. *Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, facile volat ideo facile charitatem violat.* Cave proximum aculeatis verbis pungere. Quod si ipse te linguâ suâ configere ausus fuerit, cogita Christum positum in signum.

S. EU-

## S. EUSEBIUS PRES- BYTER CONF.

14. Augusti.

*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij nominemur, & simus.* Johan. Epist. cap. i.

**O**bstupuit orbis Christianus, quòd videret se esse Arrianum, priusquam sentiret quod desineret esse verè Christianus. Adeo Constantius Imperator impietate suâ virus hoc grassari impunè fecerat & quamvis Ecclesia haberet medicos insignes, qui malo grassanti sese opponerent, pertinax tamen caput Imperatoris medicinam non admisit: Ille enim Episcopos non paucos, & Sacerdotes vel morte vel exilio multavit; quos inter Eusebius erat. Sacerdos Romanus, qui cum acriter Arrianis resisteret, nihil tam ægrè tulit Constantius, quam agnominem fidei Constantiam in Eusebio, pro eo, quòd veram fidem constanter ac liberè pugnaret, in tam arctum carcerem compingi iussit, ut vix movere se posset, quin potius, ut in vivis sepultus lateret. Solidum semestre sic tenuit virum

rum

rū sanctū, donec à Domino precibus assiduè impetravit, ut ex carcere in libertatē filiorum Dei evolaret. Ejus tumulo hoc Epitaphium inscripserunt, Gregorius & Orosius Presbyteri, qui sanctas ejus exuvias ponē corpus S. Sixti summi Pontificis humaverunt. Hic JACET EUSEBIUS VIR DEI.

M E D I T A T I O.

*Christianus sit* HOMO DEI.

1. **H**omo Dei es, quippe qui te creavit, confectum, & innumeris tum communibus, tum specialibus beneficiis cumulavit. Deus Dominus est Pater iudex, omnia. *Nonne Deo subjecta erit anima mea à quo tanta accepi, & cujus sum tot nominibus.*

2. Quandoquidem es homo Dei, debes ad Deum referre actiones, verba, & cogitationes tuas, ad quem arbor pertinet, jure collegerit arboris fructus. O te felicem! qui possis tam liberali dominum laborare. Cui placet labor tuus, ut copiosam mercedem daturus sit; Da operam ut corpus, anima, memoria, intellectus, voluntas, sensus denique omnia Deo solilaborent.

3. Sinon es Homo Dei, cujus es amabo? an demeritis qui tuæ animæ exitium minatur? an mundi qui te decipiet? cui servis si non servis Deo? an corpori quod corrumpitur? an honoribus qui prætereunt? an divitiis, quæ morte relinquuntur? Age sanè, quaere Dominum, qui potestate, & bonitate Deum requæret, & si quem nactus eris, ipsi servias: Si verò nullum

lum inveneris, revertere ad Dominum Deum tuum.  
*Si quis pietati studet Dei homo est, Si impiè agis, Diaboli est. Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.*  
 S. Ignat Mart.

**ASSUMPTIO B. M. V.**

15 Augusti.

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. cap. 20.*

**A** Ge penna, quid humi repis dum Virginem laudas? altiùs vola, & supra cœlos laudibus hodie merentem tolle. Sequimini Sodales, si Germani Mariæ pulli estis. Crescebant, & oculos; cœli multùm delectabant primi Ecclesiæ flosculi, cùm hos è cœlo Filius, in terris Mater foveret. Sed denique ille Matrem terris, hæc filium cœlis invidebat. Ergo iterum boni nuntii bajulus Gabriel adest, & ad suavissimum mortis somnum invitat. Adsumt interim divino nutu, qui toto orbe divisi erant Apostoli, & lectulum abiturientis ambiunt. Cerneret pro Virgine certantem cum cœlo terram. Hinc filii lacrymis retinent, & amplexu morantur; illinc suavissimi cœlitum moduli animam beatam proliciunt, trahuntque ah! sponte properantem. Suscipit proinde Matrem Filius, sinum.

numque pro sinu rependens illuc evehit, unde unum illa Deum suspicit, alia omnia despicit. Solabatur terra luctus suos optimo spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cum, ita Numine volente, serius è XII. proceribus Thomas advenisset, & amissam Matrem etiam in tumulto mœstus quæreret, præter linthea, tantum magni thesauri nuper involucra, nihil reperit, quòd cœlum etiam corpus subduxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere: Nunc, si terram nauseas Virgo, scande cœlum. *Ex Brev. Rom. &c.*

MEDITATIO.

*De Assumptione B. M. V.*

1. **M**oritur Beatissima Virgo sine dolore, sine timore, sed incredibili cum gaudio, præ desiderio quo flagrabat videndi filium. Amore dissolvitur Maria, ut sit cum Christo. Tu quoque morieris, sed quomodo? in mediis doloribus & timoribus. Roga Mariam, ut impetret tibi gratiam benè moriendi, quam Christus nulli servorum matris suæ negat, & cum aderit momentum illud terribile dic cum Justo Lipsio. *S. Maria adesto mihi cum tota aeternitate decertanti.*

3. Resurgit Maria neque enim dicebat putrescere sacrum Mariæ corpus, in quo verbum caro factum erat. O! quantum gaudeo, Virgo Augustissima, quod

quod tantum tibi beneficium collatum sit. Corpus meum ! resurges, sed nescio utrum ad gloriam vel ad miseriam sempiternam : fallor, scio, manet me gloria si serviam Mariæ : *Nam cliens Maria nullus aternum peris.*

3. Triumphat Maria, & cum admirabili apparatu coelos ingreditur : occurrunt Angeli, Pater æternus eam suscipit ut filiam, ut matrem Christus, & Spiritus sanctus ut sponsam, atque plaudente curiâ cælesti ad filii sui dextram collocatur. Jo anime ! omnia impetrabis intercessione B. M. Virginis, quia ut nunc omnia potest, sic omnia cupit tuâ causâ : At quibus adhuc officiis tibi Mariam conciliâsti ? ut pro te intercedat.

## S. ROCHVS Confessor.

16. Augusti.

*Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia & fames, & terra motus per loca.*

Matt. 24.

**N**ascitur Rochus loco perillustri in Gallia, portentosâ Cruce à Matre rubens : ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit, ipse ditione suâ patruo commissâ. Italiam Religionis causâ petit. Hic dum laborantibus peste servi-

H tium

tium suum addicit, magnâ omnium admiratione quàm plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundùm hæc divinitus edoctus, quibus malis porrò exercendus esset, acutâ primùm feбри tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in patriam repedit, iterum æger ex itinere sub arbore decumbit, Annonam in dies singulos panem unum cane subministrante. Redux denique in suam ditionem, eandem domi quàm foris fortunam, hoc est iniquam reperit. Grassantibus enim per ea tempora ubique bellis, pro exploratore habitus captivus, que ab ipso patruo hospitio publicitus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cum mille modis absolvere se ipsum posset, quinque ipsos tantum annos delitescit. Tandem cum nomen tabulæ suam inscripsisset, simul amplam sponsonem, quâ cœlum omnibus peste correptis medicinam ROCHI intercessionem fore edixerat, peste ipse Medicus pestiferorum decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus gemino carcere evolaret. *Ex Lippeloo.*

## MEDITATIO.

*De flagellis Dei.*

I. **D**Eus solet tribus calamitatibus, peste, bello & fame punire peccata, & peccatores ad ob-

ficiunt

ficiam revocare. si flagellaris his, vel similibus ærumnis; utere verbis, quibus S. Lupus excepit Attilam qui se flagellum Dei nuncupabat. Bene habet, veni flagellum Dei, optatum advenis. *qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis*. Salv.

2. Quos amat eos castigat Deus: flagellat filios suos morbo, dedecore, honorum jacturâ. Nimirum ut rebus creatis minus adhæreant, utque probati igne tribulationis, tanquam aurum in fornace, non probentur igne purgatorio. An ego queror? quòd Deus mutet durissima supplicia in leviores labores?

3. Improbi verò bonis omnibus circumfluunt: voluptatibus, honoribus, divitiis redundant; diceres eorum fortunam famulam esse, sed ne inideas felicitati aliàs fortasse quædam præstiterunt operabona, quibus ab æquissimo Deo levis ac brevis merces conceditur: sed misera felicitas? *illi namque irascitur Deus: quem peccantem non flagellat: nam quem flagellando non emendat, illum in futuro damnat.* Bern.

## S. MAMMAS MART.

17. Augusti.

*Eramus & nos in malitia & invidia agentes, odibiles odientes invicem; cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, secundum suam mi-*

H 2

scri-



*sericordiam saluos nos fecit*  
ad Titum cap. 3.

**Q**ui puerum **MAMMANTEM** Martyrem  
miraris, noveris, Lac Martyris bibisse  
in carcere quippe natus primas cunas vincula  
habuit, primùm ridere inter utrumque pa-  
rentem mortuum visus est, cùm pater ante  
ejus ortum, Mater non multò post obiissent.  
Talem Matronæ commendavit Angelus edu-  
candum. Mox, cùm annum ageret quin-  
tum decimum, virum jam se tyranno, & con-  
tra verbera Spartanum, contra ignes Roma-  
num præbuit. Undis deinde suffocando ite-  
rum Genius Tutelaris adfuit, actisque in fu-  
gam tortoribus, Martyrem in montem du-  
xit. Hic generosus puer tot jam penè nutri-  
ces quot sylva feras numeravit; cùm hæ ultra  
divi mulgentis manum ambirent, iisdemque  
deliciis & famem nobilem & sitim pellerent.  
Atque hujus miraculi fama, cùm aures præ-  
fidis pulsâset, equites misit, qui **MAMMAN-**  
**TEM** sisterent. Excepit **MAMMAS** ignaros  
primumque lacte & caseo, tum ipse ferarum  
spectaculo recreatos in urbem est secutus.  
Iterum ergo plagis lævitum; sed quas inter-  
rideret **MAMMAS**, iterum fornax succensa

sed in qua quartum puerum Babylon agnosceret. Feris quoque cum objectus esset, Urtus Pardusque sudorem Athlethæ abstergebant, leone interim, qui comes Martyri è monte iverat, in carnifices grassante. Denique tridente confossus MAMMAS, ilia effusa extra urbem extulit, & moriturus ipse sepulchrum speluncam subiit. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

*De Humanitate.*

1. **S** Mammias velut alter David lusit cum Leonibus quasi cum agnis, & cum ursis similiter fecit sicut cum agnis in juvenute sua Eccl 47 Conversando cum feris, feras reddidit humanas, hic lusus fuit Innocentiæ. Cave sis ne tu colludendo passionibus tuis linas illas crescere & adolescere tecum, ut consuetudine roborata te humanitate privent & in belluam transmutent. Quomodo tractas brutales passiones tuas? dominare in medio illarum, ne dominantur tibi, consuetudine adultæ. *Desinit esse locus remedio, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt.* Sen. Epist. 39.

2. S. Mammias quam expertus est à feris mansuetudinem & liberalitatem, iterum suis hostibus exhibuit. Revoca tantisper ad lydium lapidem humanitatem tuam. Humanitas amat omnes, nocere cupit nemini, prodesse studet omnibus. Tolerat aliorum naevos & infirmitates. Juvat consilio, juvat & opere. Affabilis est & comis erga omnes. Quid habes ex his? & quantum non habes?

H 3 3. S.

3. S. Mammantis curator fuit Angelus, Tam ha-  
mani sunt angeli erga clientes suos quorum tamen ne-  
mores nec naturam habent, Et quam facile tu aver-  
ris illorum familiaritatem qui tibi moribus vel affectu  
contrarii videntur? *Conservare humanitatem quid aliud  
est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem qui  
nos sumus.* Lact., lib. 6, cap. 11.

## S. HELENA IMPERA TRIX.

18. Augusti.

*Oportuit Christum pati & ita intrare  
in gloriam suam.* Luc. cap. 42.

**P**Lerique filii Matribus debent meliorem  
vitam quam iis cum lacte piè instillant, &  
HELENA à magno filio Constantino, cui con-  
pus dederat animæ creditur recepisse splendo-  
rem: siquidem, quam de cœlo doctus erat  
religionem filius, tam largè piâ adhortatio-  
ne & exemplis communicavit Matri, ut in  
pietatis Christianæ officii cum filio deinceps  
decertaret. Plurimæ ejus dote à fundamentis  
erectæ vero Deo sacræ ædes, nullæ, quas videret  
bat, non regia liberalitate donatæ: viva veritas  
Dei templa pauperes, milites captivos, &  
qualicumque demum calamitate oppressos  
sublevabat largitionibus, atque etiam ditabat.  
Palmare est, quo ejus religione quæsit

& inventa SS. Servatoris nostri Crux fuit, primaque veneratione adorata: & pars triumphati erat, cum convocatis, quæ Hierosolymis erant, omnibus Deo dicatis virginibus, ancillari Imperatrix habitu aquam affundit, cibosque & potum regiis porrexit ministra manibus in lætitiæ scilicet signum & Servatoris nostri imitamentum, Sic merita optimè de Christiano orbe præsentem Imperatorem filio, octuagenaria defuncta, cœlum ingressa est, ad quod clave Crucis, quàm ante sedula invenerat, viam sibi aperuit. *Lippeloo. ex Eusebio.*

MEDITATIO.

*Crux consolatio Christianorum.*

i. **N**ihil tam consolatur Christianum, quam sanctæ crucis aspectus: ea docet quam fortiter exemplo Christi adversa pati debeat. Crux fidem vivificat, spem confirmat, & accendit charitatem: calumniæ, paupertas, omnia denique mala jucunda sunt intuenti Iesum de cruce pendentem. Quisquis te aspicit Amantissime Jesu exaltatum à terra, vel sanatur vel certè dulcescunt dolores ejus. *Non interrogas quæ pateris, sed quæ Christus passus est. S. Bern.*

2. Quàm suave est Christiano! imminente morte crucem intueri, mori in ejus amplexu. Ah! quantum illo momento confidet cruci! quantum sanguini, quem Iesus in cruce pro eo fudit, nihil jucundius, nihil tutius quàm in cruce mori. *Contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est ante oculos. Cyprian.*

3.

3. Quanto gaudio afficientur veri Christiani cum supremo iudici die videbunt signum crucis. At quanto dolore cruciabuntur improbi, cum idem signum, quod tanto odio habuerunt, contemplantur! lamentabuntur illi quod levem & momentaneam crucem deposuerint, ut gravissimâ & æternâ cruce sine spe, sine consolatione opprimantur.

## S. LUDOVICVS Episcopus

19. Augusti.

*Modestia vestra nota sit omnibus  
hominibus* Paul. ad Philip. 4.

**L**UDOVICUM Caroli Regis Siciliae primo post S. Francisci filium tenes. Puerulus somnum stans humi precationibus interpellavit. Caponem quo pauperum præda esset, pio furto è mensa ablatum, cum parens id subodoraretur, in rosas vertit. Arma ludicra tractantem cum equus abjecisset, vicissim mundum ludibrio habiturus arma ipse & equos abjecit. Quare quo die Soror in manum hominis convenit, ipse sacris initiatur Virginitatem Deo despondit, dæmonemque sub se insidiantem signo Crucis elusit. Aeger voto ad D. Virginem facto è morbo surrexit, & in D. Francisci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolosanum evectus est. Virginem  
uti

uti in omni vita, ita in morte frequentissime salutavit. Causam rogatus id solum respondit. *Morientem illa juvabit me.* Neque falsus est visus inter Angelorum manus in caelos evolare, auditaque ejusmodi voces: *Sic fit servienti Deo in munditie & puritate.* A morte multi propitium mortales habuere. Inter hos Dionysium Lusitanorum regem numerant, quem ursus ex equo in ultimum periculum dejecerat. Sed in tempore Ludovicus è caelo adfuit, monstravitque Dionysio, qui pugione mortem à se in ursum averteret: hoc Beneficium Ludovici gratumque Dionysij animum, *Aedes sacra extructa & in Aede Epigraphae hæc (LUDOVICO SERVATORI) loquitur. Ex Lipeloo.*

MEDITATIO.

*De Modestia.*

1. **H**Æc Virtus, quæ moderatrix est exterioris hominis, maxime decet Christianum, qui, cum sit imago & exemplar Jesu Christi, & modeste agere, & modeste loqui debet. Ubique Deus, ubique Angelus tuus te videt, homines porrò plerumque te observant. Nunquid hæc sufficiunt, ut sedulo amplectaris egregiam hanc virtutem, quæ Deum honorat, & homines allicit ad sanctitatem. *Quàm pulchrum est, si videaris & prosis!* Ambros.

2. Ad usum modestiæ, ratio habenda est ætatis, vi-

H s

tæ,

ta, conditionis, loci, occasionis; hæc virtus oculos, manus, linguam, omnem denique hominem sic moderatur, ut qui vident Christianum, dicant: ita Christus incedebat, ita loquebatur, ita agebat cum hominibus. An de te hæc dici possunt? *qui dicit in Christum credere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hieron.

3. Exterior modestia ab interiore omnino pendet, facies est interpretis cordis, si domitas haberes cupiditates si semper Deum præsentem cogitares, facile ad modum esses modestus, nec animus tuus extra quæreret quietem, quam in se inveniret. *Animus corporis gestu apparet, & species corporis simulachrum mentis figuraq; probitatis.* Isidor.

## S. BERNARDUS ABBAS

20. Augusti.

*Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est.*  
Matt. 12.

**B**ERNARDVS est, ille (invidete Marianam) Dei collactaneus, quem mater cum utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesia latraturum. Pueri Puer Christus nocte Nativitatis visus est, nobilior omni die spectaculum. Adoleſcens quod oculum in fæminam defixerat.

xisset, in rigentes aquas insiliit incendia aquis præventurus. Alias cum ejus pudori insidias hospita strueret, *latrones, latrones* iterum iterumque clamavit, ratus dirissimos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cisterciense Monasterium XXX. secum socios traxit. Hos inter cum fratres omnes Bernardi præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter valedicendum dixisset: *Eja frater, te unum iam hereditas paterna spectat; supra omnes senes doctè puerulus respondit: pulchrè verò assem dividitis: vobis cœlū habetis, mihi terram reliquam facitis; at hoc fide profectò minimè germanā.* Mox cum per ætatem licuit, fratres secutus litem de cœlo illis non ingratam fecit. Eruditionem Bernardi loquuntur ejus volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cum de mellea Virgine sermo est; ut meritò ex hujus uberibus hausisse hoc nectar credamus. Sed & nobis iidem fontes essent, si eadem cum Bernardo sitis esset, *Ex vita ejusdem.*

## MEDITATIO.

*De S. Bernardo.*

I. **L**iquet S. Bernardum filium esse Mariæ, cum eum lactarit: S. Bernardus tantæ gratiæ memor, ubique



ubiq; promovit cultum matris suæ, ex Mariæ laudibus, quibus renident ejus opera, apparet quantum eam amaverit. Uti Bernardus, sic esto filius Mariæ; Ab materno amore me complecteris Maria! ipse verò vix te amo! sum degener filius, ubi enim puritas, ubi reliquæ virtutes? quibus Matri meæ similis esse deberem.

2. Adhæc S. Bernardus frater est Jesu Christi. fuit idem lac, & eosdem mores exprimere conatus est. De superiori loco verba faciens, tam vivis coloribus mundi vanitatem pingebat, ut adolescentes quam plurimi, spreto mundo ad monasterium convolarent. Ejus oculis perpetuò obversabatur passio Jesu Christi. An nos Jesu Christi? an facimus semper quæ placita sunt Deo patri?

3. Quatuor hæc S. Bernadi verba altius hæreant animo. 1. Terribile est Deum exinaniri, & vermem gloriari. 2. Quo majorem quæremus in creatis consolationem, eò minorem reperiemus in Deo. 3. Sæpius se interrogans, Bernarde (ajebat) ad quid venisti nunquid ut sanctus fieres? 4. Singulis horis cogitare debemus, quò singulis properamus. S. Bernardus.

**S. BASSA Cum FF. MM.**

21. Augusti.

*Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem ad versus patrem suum, & filiam*

*filiam adversus matrem suam,  
& inimici hominis domestici eius.*

Matt. 10 cap.

**B**ASSA non tam tergemino filiorum partu, quàm morte felix vixit sub ea tempora, quibus Maximiani ferro longè plurimi Martyres vixerunt. Dæmonum sacrificulo, hoc est, agna lupo juncta. Sed & filii matrem vultu, non patrem retulerunt, utpote omnes Christiani. Eam ob rem unà in jus iniquissimum rapti, accusante ipso filios patre, & uxorem marito damnante. Primum ex equuleo pendere viderunt cœli & laudârunt THEOGNIVM membris lacerum, animo integerrimum. Alterum AGAPIVM virgæ non puerum sed virum probârunt, & sine cute jam sua fortiorem quàm in alienis exuviis Herculem. Alia item tormenta tertium fratrem sanè Germanum probarunt. Omnes igitur eodem gladio cæsi, eâdem palmâ coronati. Ad quem nuncium BASSA plus aliquantò exsiliit gaudio, quàm si uno die vicisset, omnes in Olympicis audisset. Interea hanc carcere & fame vexatam Angeli cibo suo recrearunt, ut suum terræ jam minimè invideret BASSA. E carceribus ubi prodiit, ignem

nem, aquas, lapidantium manus & Deos ipsos humi dejectos foemina triumphavit. Triumphum splendidiorem feræ immiffa reddiderunt, quas cicurare Virtus potuit, non tyrannum, qui toto mari obruere triumphum BASSÆ voluit. Sed in fluctus abiectam matrem gloriosi è cœlo filii naviculâ excepere, & ad portum incolumem deduxerunt. Verùm illa potiùs cœleste littus spectabat. Atque ad hoc octiduo post etsi cruribus fractis & sine capite, enatavit tamen per sanguinem suum. *Ex Men.*

## MEDITATIO

### *De fortitudine Christiana.*

1. **Q**uia ad certandum inunctus est Christianus, opus est generoso animo, ut fortiter tueatur quæ sunt Jesu Christi, & propugnet illius gloriam. Imò vitam profundere paratus sit, si ita expedit gloriæ divinæ & animarum salutem. Sed nunquid feruus animus, quando tuus, vel regis tui honos appetitur, & unde friget cum tuæ salutem consulere, & Dei partem tueri debes?

2. quia nihil tam emollit quàm caro, & sanguis, ideo homini Christiano fortiter omnis affectus immoderatus erga carne & sanguine conjunctos procul deponendus est, sed quem multos illaqueat hic amor, nunquid & te impedit? quoties studio placendi aliis, negligis ea, quæ Jesu Christi sunt? & curas

quæ hominis sunt? an æquæ? & ex quibus rebus argui potest tuus in Deum amor? quam amore, quo erga alios afficeris. *Utinam sceres quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt.* S. Bernardus.

3. Fortitudinis Christianæ comes est fiducia in Deum. Non petit à nobis appellari Rex noster, sed pater, vult ut singulari fiducia confugiamus ad se tanquam ad patrem, si nos mundus ex odio Dei persequitur. Quàm fiducialiter agis cum Deo? *quæ ei de seculo est timor, cui Deus in hoc seculo est tutor.* S. Cypri. de Ser. Dom. & S. August. ait, *non timeat anima quæ amat, sed paveat, quæ non amat.*

## S. SYMPHORIANUS M.

22. Augusti.

*Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Matt. 18.

**A**Nno post Deum hominem CCXXIII. SYMPHORIANVS Juventutis Augustoduni in Gallia princeps, quòd cultum Diis negasset, jussu Heraclii, qui pro Valeriano illic furebat, in vincula est abreptus, sed quæ ille digna nobilitate Christianâ monilia putavit. Pugnabat in fortissimum juvenem gemina acie tyrannus: hinc agmen, minæ, verbera,

bera, flagra, illinc blanditiæ, munera ac pro  
 missa ducebant, perrupit tamen Martyr u  
 trumque cornu, & illud constantiâ, hoc  
 etiam risu vicit fuditque. Sed victorem pel  
 simus Iudex ad gladium damnavit. At SYM  
 PHORIANVS præferri sibi secures non  
 supplicium, sed triumphum putavit, quem  
 augustissimum mater triumphantis fecit  
 dum his vocibus è tecto & ipsa triumphans  
 acclamavit. Io! fili, triumphas. Io! tecum  
 Mater triumpho! quid enim? Certè victo  
 rem filium, præferri secures, & sequi victum  
 Tyrannum video, sed cur sine purpura  
 fallor; an tuus hanc cruor dabit? Et cur sine  
 corona? iterum fallor: coelum hanc dabit  
 nec è mortali lauro dabit, Superi! filio jam  
 supervivere matrem juvat, juvat oculos claudere.  
 Audite votum novum sidera & tu filii  
 i, sanguine subscribe. Hæc aut similia mater  
 filius interim cœleste jam capitolum victo  
 tenebat. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

*De vitæ brevitate.*

I. S Ymphorianus Juvenis annis sed vix fortibus  
 Sctis. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*  
 Vita momento labitur, dies, menses, anni, tempesta  
 tes, ætate tam rapido cursu sibi succedunt, ut moria

mur, cum vix vivere ceperimus. Quò florens juvenus fugit non reparabilis! ah! si datum tibi tempus melius collocasses, tunc præmium ingens tibi maneret. *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Senec.*

3. Non modò brevis est vita nostra, sed redundat miseris, cœlum vel maximè serenum nube non caret. Contendo te nullis unquã mundi voluptatibus potitũ fuisse, quin fuerint felle aliquo permixtæ. Ah! amaræ sunt deliciæ, quid dolores, quid gemitus, quid lacrymæ inferni? Rectè igitur. August. *Vita dulcis stultis amara sapientibus, qui te amat, non te cognoscit, qui te contemnunt, te intelligunt.*

3. Ne sis sollicitus de longa vita, improbo semper longior est, probo verò satis longa & quantumlibet videatur brevis, sufficit ad sanctificationem. Labora æternitati, vita quippe Patriarcharum punctum est ad æternitatem. Itaque ne perperam abutaris momento vitæ tuæ; ab eo siquidem pendet æternitas. *Vitã si scias usi, longa est. Seneca.*

**SS. CLAUDIUS, ASTERIIUS, NEON. MM.**

23. Augusti.

*Christo confixus sum Cruci. Galat. 2. vers. 19.*

**P**Otest Ægea hodie invidiam Romæ facere, & tergeminos fratres & ipsa suos jactare, Horatiis vel ideò fortiores, quod vi-

I

vus

vus è pugna nullus abierit, omnes ceciderint  
 Victores. Illis nomina sunt CLAVDIVS  
 ASTERIVS & NEON, dissimilia vocabula  
 cæterùm virtus sub pectore eadem planè  
 & constantia. Primò singuli, tum totâ fra-  
 ternâ acie pugnarunt; nec in tres solùm ho-  
 stes, sed in totas carnificum cohortes. Videl-  
 cet ad servilem metum, Virgas, cederent  
 Christi milites? Risum hæ non gemitum ex-  
 pressere. Jam unci ferrei & unguæ bubulæ  
 quæ nervi in lacerato corpore integrum ani-  
 mum prodiderunt. Prunis & cum prunis  
 Tyranno insultârunt etiam. Tædas corporum  
 admotas fortior ignis extinxit Dei Amor. Et  
 Equuleo verò velut è Cathedra, pulcherri-  
 ma & dignissima Philosophiâ Christianâ ora-  
 cula ediderunt. Post tot igitur pugnas me-  
 ritò denique in cruce triumphavit Nobilis fra-  
 trum ternio. Neque obfuit triumpho huic  
 quòd corpora feris avibus præda cederent  
 cum nobilissimam eorum partem animarum  
 beatiores jam volucres abstulissent. *Ex Lippel*

## M E D I T A T I O.

*De Cruce triplici.*

I. **T**ernio Crucifixorum fratrum tres cruces quibus affigimur in hoc mundo significare potest  
 Prima crux est observatio legis. *Jugum Christi suave è*

*onus ejus leve.* Nisi timore Dei fixus fueris, facile descendes ab hac cruce. Quamvis servanti legem, tum vivere, tum mori in hac cruce, suavius sit quam descendere. *Si Filius Dei es descende* dixerunt ad Jesum crucifixum inimici. Si Filius Dei, persevera in hac cruce usque ad mortem, dogma Christianum est, ut dicas aliquando *consummatum est* cum Christo moriente, Sed & cum vivente, dic in omnibus. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Luc. 22.

2. Crux altera est, cui te affigit proximus tuus. Christus qui se permisit portari a Dæmone, etiam passus ab impiis dæmonis ministris sese crucifigi, & patitur quotidie a peccatoribus malè se tractari imò iterum crucifigi, quid renuis ab uno potiùs crucem acceptare, quàm ab altero? affigere patienter huic cruci, Vis ut tua vitia patiantur alii, patere vicissim ab aliis. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gal. 6.

3. Quisque sibi ipsi crux est inseparabilis. Muta locum quoties, & quocunque, & ad quos volueris, te ipsum portabis tecum, & tibi tua crux semper eris, & tua passio, tibi tuus tortor erit. Tu tibi tua sarcina es, & nemo tibi temet gravior.

---

## S. BARTHOLOMÆUS.

24 Augusti.

*Pro Christo ergo legatione fungimur  
tanquam Deo exhortante per nos.*

2. Cor. Cap. 5.

12

Sunt,



**S**unt, qui BARTHOLOMÆUM in purpura  
 Sinarum velint. Sanè obiisse purpuratum  
 nemo negaverit. Ut Deum in vota sua flecte  
 ret, genua centies die, toties noctu feru  
 flexisse. Cùm inde orbis XII. Viris totidem  
 provincias cessisset, subigendis Christo po  
 pulis, diu collega Philippo fuit; post huius  
 verò triumphum, in Indiam & Armeniam  
 majorem movit. Hic loci ad ejus facundiam  
 continuò malorum dæmonum simulachra  
 obmutuerunt, & torqueri se immaniter  
 BARTHOLOMÆO clamitârunt. Proinde Oro  
 larvas è cive, itemque Regis Polymii filia  
 cilè abegit. Eam ob rem cùm Rex onustos  
 auro gemmisque Camelos transmisisset, re  
 missis omnibus, eidem significare jussit, mi  
 nimè harum rerum mercatorem se agere, se  
 animarum, quas si cœlo intulisset, tum de  
 mùm lucrum ingens se fecisse existimaturum.  
 Hic igitur Rex permotus non difficulter ma  
 nus illi dedit, à quo ipsi Dii victos se esse fate  
 rentur; traxitque suo exemplo cùm liberis  
 Regni benè magnā partem. At Astyages Re  
 gis frater nimium quantum hoc nuntio exa  
 cerbatus, pellem vivo detraxit BARTHOLO  
 MÆO, & capite truncavit. Quid ad hæc vos  
 qui pellem lautè ac nitidè habetis, qui aqua  
 liculo

purpur  
liculo fulcitis? necdum angustam ad coeli a-  
puratum  
tria portam creditis? Ex Brev. Petro de Natal & Lip-  
na flecte peloo.

MEDITATIO.

De S. Bartholomæo.

1. **U**T quis verus sit Apostolus, hoc est legatus  
Jesu Christi, fidelis sit, necesse est, adeò ut  
quærant non quæ sua sunt, sed quæ Domini sui. Ita  
S. Bartholomæus, voluptatum, bonorum, vitæ,  
omnium denique detrimentum fecit, ut Jesum seque-  
retur, multosque per Evangelium Christo lucrifacer-  
ret. Quid ratione divinæ gloriæ & animarum salutis  
præstas? Deo nihil est gratius studio animarum.

2. Legatus debet apprime scire voluntatem Prin-  
cipis, ut ipsam exequatur: Orat Bartholomæus centies  
quotidie, ut sciat voluntatem Jesu Christi, ab eoque  
consilium & auxilium impetret. Labora quantum  
voveris, teris tempus, operam ludis, si declines à  
Dei voluntate. Domine fiat in me voluntas tua.  
Quoties in die, & quomodo Deum oras?

3. Prudentia legato necessaria est, ut commissa si-  
bi provincia recta ac pro dignitate fungatur: necessa-  
ria item fortitudo, ut hostibus resistat, atque, si ex-  
pediat, adeat vitæ discrimen. S. Bartholomæus præ-  
ditus fuit duabus his virtutibus quæ fortè in te deside-  
rantur. Heu! prudentissimus es in mundi rebus: at in  
rebus tuæ salutis penè repuerascis quàm rari sunt no-  
vissimis his temporibus veri operarii Evangelici: Quò-  
dabit Spiritus apostolicus, quo humilitas, labores zelus pri-  
mitiva ecclesia? Bernardus.

S. LU-

# S. LUDOVICUS REX CONFESSOR.

25. Augusti.

*Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO*

Matt. 22.

**V**itam omnem LUDOVICI noveris, si leges noveris, quas sibi primò, tum deinde filio dixit. Harum capita habe.

I. Deum præ omnibus amato. II. Peccatum mortiferum ceu anguem fugito. III. Adversus ne deprimitor. IV. Néve prosperis extolitor. V. animæ plagas spiritali medico crebro nudato, & medicinam quamvis asperam nullam respuito. VI. In precandi studio assiduus esto. VII. Animum in miseros pius & liberalem gerito. VIII. Cùm animo malus est, in consilium quam mox virum, bonum adhibeto. IX. Boni tibi nunquam non adsunt, mali semper exsunt. X. Bonum omnem amplector: malum omne detestator. XI. De Deo loquentibus aures lubenter dato. XII. Obrectationibus verò obserato. XIII. Deum Divosque impunè, te Rege, nulli laceffunt

to. XIV. Gratus Deo imprimis, sed & hominibus esse memento. XV. Pro tribunali æquus esto, & pauperum queremonias ne negligito. XVI. In causa tua, dum res non liquet, contra testato. XVII. Aliena ocyùs restituito, Clero & religiosis pro scuto esto. XVIII. Parentibus amorem deferto. XIX. Bella, si contra Principes Christianos gerere necessitas suadet, sacris parcito. XX. Lites pro virili dirimito. XXI. In Magistratus sedulò inquirito. XXII. Pont. Max. ut par est, reveretor. XXIII. impensæ modestiam ne excedunto, XXIV. Pro me, ubi obiero, sacra fieri curato, *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O.

*De S. Ludovico.*

1. **S** Ludovicus merito Rex dicendus est, utpote qui victis cupiditatibus corpus rationi, rationem vero Deo subjecerit. Is verè regnat, qui sibi imperat; nunquid autem is sibi imperat, qui jejunio ac cilicio macerat corpus? qui castam in mediis aulæ deliciis vitam ducit, quasi foret in solitudine? considera virtutes S. Ludovici, vide utrum illas imiteris, & appetitus tui pareant rationi: *Quid enim tam regium est, quàm subditum Deo animum corporis subesse re-  
torem.* S. Leo.

2. S. Ludovicus fuit pater populi, amabat omnes, non amicos tantùm sed & inimicos, detestabatur ob-

tractatores: pauperum lites ipse componebat, idque curabat potissimum ut Sanctos subditos haberet. Habe Deo gratias, si quibus obtemperas ut prædictum sint virtutibus S. Ludovici; sin autem tu ipse aliquid præes, memento Patrem te esse subditorum tuorum.

3. Serviat Deo necesse est, qui rectè voluerit cognovisset. Si quis consideraverit S. Ludovici vitam, nonne dixerit sanctum hunc regiam majestatis oblitum esse, se probaret servum Jesu Christi. Terræ principes! si Deo servieritis; quid proderunt omnia, ? Non dicet Christus Euge princeps! Euge Rex! Imperator &c. Sed dicet: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.*

## S. VICTOR MART

26 Augusti.

*Vincenti dabo manna absconditum.*

*& calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.*

Apoc. c. 5. v. 27.

**E**Xpeditius plerumque in opus exit, quod cogitatum diu est. VICTOR toto septennio in solitudine se macerans præparabat ad acerbiora toleranda jamque prædicandæ fidei ardore incensus, divino prodibat ex spelunca impulsu in publicum, ut incendium in

Mau.

Mauros spargeret, qui fidei destituti luce in tenebris idololatriæ rigebant. Vix discolor hospes Mauris apparuit, cum, indicio facto, advocatus in aulam est; & faustissimus fuit cum rege congressus. VICTORIS quippe primo intuitu, foedissima in Regis corpore lepra omnis evanuit; at peior animæ lepra, ingrati animi vitium, veræque fidei odium prævaluere: siquidem ubi cognovit Rex, prodigiosum suæ lepræ depulsores, Æthiopus suo sacro velle lavare latice, suffocari quamprimum, impiè ingratus iussit hospitatorem suum. At de mortis causa tam gloriosa lætatus S. Apostolus, exoravit carnifices, ut lentius cruciaretur: quò plus pro Christo pateretur, & ut de cruce suspendereur impetravit, in qua cum triduo integro velut è cathedra perorasset, & ut Medicus miraculo corpora animosque persanasset, caput sibi amputatum sui ipsius vespillo, manibus in urbem detulit, locoque sepulturæ à se designato cum trunco corporis deposuit. Epigramma esto. *Hic jacet VICTOR, qui ad Mauros venit, vidit, & in cruce vicit.*

## MEDITATIO.

*De præmijs mundi Victoribus  
promissis.*

1. **V**incenti dabo *Manna absconditum*. Apoc. 2. *Est multitudinē dulcedinis meæ & consolationum mearum experieris, in te: Vince modo heroicam tentationem aliquam, pusillanimitatem, infirmitatem, aut contemptum, & senties infallibiliter magnam animi consolationem, & prægustum quasi, obventuræ tibi per hoc æternæ felicitatis: sicut e contra gustata voluptas peccati animam affligit, & continens quasi prægustum affert æternæ pœnæ quam meruisti.*  
*O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te. Psalm. 30.*

2. *Vincenti dabo calculum candidum.* Ap. 2. *Calculus candidus, est signum faustitatis. 2. Est signum absolutionis in iudicio. 3. Est signum electionis. Hæc tria venient illi, qui vicerit mundum. 1. In iudicio particulari & universali non condemnabitur, sed laudabitur à iudice. 2. Inter electos numerabitur, 3. In glorioso corpore æternùm lætificabitur.*

3. *Vincenti dabo nomen novum:* Ut sit & dicatur filius & hæres Dei. Hoc est inquit Bernardus *illud centuplum: Adoptio filiorum Dei.* quæ pericula non spernit, miles generosus? ut ducis aut militaris præfecturæ insignibus & nomine decoretur? Christus te filium & hæredem suum constituet, si viceris, & adeo ignavus es?

---

## S. PÆMON EREMITA

27. Augusti,

Qua

*Quâ mensurâ mensi fueritis remetietur vobis. Math. 7.*

**P**ÆMON, communi per Thebaidem calculo sanctus Eremita, à belluis tamen laceratus & devoratus ferali tumultu & sepultus. Hujus exitus ipse triennio ante vates, edixit alteri Eremicolæ, qui ad eum divertens mirabatur, leonem mediâ hyeme speluncam senis ingredi, ejusdemque rigentia frigore membra, ut calefaceret, corporis sui acclinatione fovere. Noli, inquit, frater id adscribere meis immeritis meritis visum à te leonis obsequium, membra mea innato sibi calore foventis: peccator enim sum, inque delictorum justissimam pœnam, feris bestiisque pabulum ero. Et verò, aiebat hospes, tam diræ pœnæ ab Optimo DEO, quæ causâ? quanta eam culpa meruit? Imò verò respondit, juventutis meæ delictum, & grande illud, sic paternè plectere statutum Numini. Cùm oves in Adolescentia pascerem, in viatorem, fortè innoxie transeuntem, barbarâ petulantia molossos, gregis mei custodes, incitavi, qui miserum, nequicquam ejulantem, in frustra laceratum peremere, me cùm possem facile, malum avertere crudeliter negligente, atque



atque ita immanis laniens reus, talionem exspecto. Sic ille. Tu verò, inter Sodales quamvis, qui tot petulantia illicitis animas innocentum ad lapsum precipitasti, si feras non times, cave, ne inferis pabulum fias.

*Barri, ex Rosveido de vitis PP.*

## MEDITATIO.

### *De punitione peccatorum.*

1. **S.** PÆMON jam pridem lacrymis diluerat juvenile delictum, non tamen supplicium peccati restabant pro illo pœnæ temporariæ luendæ. Quid ad hæc cogitas, qui tam parùm sollicitus es de satisfactione? frustra non orat Vir ille Secundum Cor Delicta juventutis mea, & ignorantias meas ne memineris. Et tu nec de peccatis juventutis, nec vitæ tuæ adultæ cogitas, ut pro iis fructus dignos pœnitentiæ feras? quare non clamas cum S. Augustino: *hic ure, hic secat* O Domine! modo ibi parcas. Et quare diligentiam non adhibes indulgentiis lucrandis? tam facili medio alterius vitæ pœnas evitandi?
2. S. Pæmon agnovit pœnam suam delicto congruam & promeritam. An te quoque multo plurimum humiliter agnoscis? *dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur: quia tantò quisque ferramentum medici patientius tolerat, quantò magis purridum conspicit esse, quod secat* Greg. lib. 10. moral. illud tecum frequenter recole, per quæ quis peccat per eadem punietur. Plerumque pœna correspondet delicto.
3. Semel molossos juvenili petulantia Pæmon incitavit

tavit in viatorem, & ideo meruit ut laniena fieret ferarum. Quid si tu malo exemplo vel suafione aliquando homines induxeris in peccatum grave. *Va homini illi per quem scandalum.* Ubi vae! ibi non levis poena.

S. AUGUSTINUS  
EPISCOPVS.

28 Augusti.

*Gratia autem Dei sum id quod sum,  
& gratia ejus in me vacua non fuit.*

1. Cor. c. 5.

**A**UGUSTINVS ubi manus Deo & D. Ambrosio dedit, in Africam redux & Sacerdos primùm mox Pontifex Hipponensis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpiùs evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducerent sese, quique non Deo loqui in templo, sed hominibus confabulari consuèssent, Mensa ejus, quæ frugalis erat & vasis vel ligneis vel testaceis superba, quoslibet hospites admittebat, si illos excipias, quos acripti hi versiculi proscribebant.

Quis-

*Quisquis amat dictū alienam rodere vitam.*

*Hanc mensam vitam noverit esse sibi.*

Supremum æger Davidis Carmina, qua  
pœnitentia nomen habent, parietibus cubi-  
culi inscribi voluit, intérque earum com-  
mentationes mortem sanctissimè obivit,  
Ecclesiæ hæreditatem amplissimam eloque-  
tiam suam & profundissimam Doctrinam re-  
liquit; illud puto Juventuti legavit, quod  
lib. XXII. de civit. DEI cap. 8. narrat; Ma-  
trem scilicet filios immorigeros diris devor-  
se; vota coelū audisse; & illos vagos horrenda  
omnium membrorū concussione tremebun-  
dos orbē penetrâsse; ex his deniq; duos ad  
Divi Stephani sibi redditos esse. Superi! si in-  
proba mater in filios tantū potuit, eheu  
mariani quid in immorigeros MARIA Mater  
poterit? *Ex vita & ipsius D. Augustini libris.*

M E D I T A T I O.

*In vitam S. Augustini.*

I. **H**ic sanctus toto juventutis suæ tempore di-  
vinae gratiæ, ac sacris ejus motibus restitit. Num  
quid ego pariter plerumque restiti ejus gratiæ? quo-  
modo fluxit tempus adolescentiæ meæ? an tandem  
cœpi ex animo Deum amare? heu quàm sæpè obdu-  
rari cor? & secretiorem ejus vocem neglexi! nunc  
anime mi! audi: *quere: ama Deum tuum. ah! serò te  
amavi domine! bonitas tam antiqua! & tam nova! ah!  
serò te amavi. S. August.*

2. Post longum & anxium certamen tandem gratia manus dedit Augustinus, exiit se laqueis errorum, & vitiorum, & ad extremum usque spiritum amicum & filium gratia probavit se se. Si peccantem Augustinum imitatus fuerim, quare non imitor poenitentem? quid expecto? moriendum est, & dignitatibus divitiisque vale dicendum. Heu! quid me fiet, si, cum Deus me vocabit ad reddendam rationem vitæ meæ, fuero gratia destitutus? *Omni bus laboribus nostris quò ambimus pervenire? buid querimus?* S. Aug.

3. S. Augustinus fuit quoque Doctor gratia, cujus partes acriter suscepit adversus hæreticos; docuitque naturam & mirabiles effectus ejus. Doce alios qua ratione possint Dei gratia reconciliari. Esto gratia discipulus, si Doctor esse non potes. Audi quid loquatur in te Dominus: *Si non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia.* S. August.

---

## DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

29. Augusti.

*Herodes misso Spiculatore precepit  
afferrī caput ejus in disco.* Marc. c. 6.

**N**atalitias hoc die herodes epulas dedit, quas rectiùs funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condidit.

divit. Nam cum ad reliquas mensæ illecebrosæ  
 filia etiam accessisset, & saltu leviculo terram  
 plausisset, ecce tibi præmium pedes caput  
 Maximi vatis JOANNIS abstulerunt. Nec san-  
 erat, per mensam tam delicatum ferculum  
 ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Et  
 traxit conjux adultera palato suo linguam (que  
 lam gratissimam Suadæ sedem) & mille nunc  
 conviciis, nunc acu mille locis fodit scelestam.  
 Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nun-  
 quam enim magis viva etiam crudelitate  
 Regis, quàm tunc fuit locuta, & meritò de-  
 inde Divinum Verbum loqui tyranno renu-  
 cujus vocem decollaverat. Ipsa saltatrix  
 poenas si seras, serias certè luit, quando astra  
 etas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus  
 impiis glacie, abscindendū crustis caput de-  
 etiam tunc portentosum in modum sub-  
 liens, & choreas, quibus viva afflueverat, mor-  
 tua etiam continuans, manifestum omnibus  
 mortalibus documentum, quàm non multo  
 saltu opus sit, ut in orcum devolvamur. At  
 dicet non nemo, ergone odiosâ pede calcas  
 terram non liceat? imò verò calcanda illa est  
 & pede utroque, sed graviore, & cui  
 cœlum non orcus arrideat.

*Ex Baron. & Martyr.*

ME

S. Joannes Martyr Castitatis  
Charitatis & Veritatis.

1. S. Joannes vivens & moriens probavit se Martyrem castitatis, quam ut illibatam servaret, tertio ætatis suæ anno fugit in solitudinem, ubi duro austeritatum Martyrio corpus suum maceraverit. Si perspecta tibi esset virtutis pulchritudo, eam studiosius conservares; non in frequenti hominum turba hunc florem invenies: fuge in solitudinem: stude mortificationi. Si minus possis ut Joannes mori pro castitate, potes certè vivere in castitate. *Et majus est vivere in castitate, quàm pro ea mori.* Tertull.

2. S. Joannes fuit Martyr Charitatis. Etenim propter animarum studium reliquit solitudinem: venit ad Herodem, omni ope conatus est eum ab iniquitate & turpitudine revocare, tametsi prævideret mortem fore præmium laborum. O te felicem! si ut Joannes sanguinem profundere posses pro salute proximi: si hoc præstare nequeas, saltem illacrymare alienis peccatis, & profusis liberali manu divitiis, peccatorum conversionem promove.

3. Fuit quoque Martyr veritatis, quam nimirum vitæ suæ anteposuit, fidenter Herodem increpans, quod adulterium patraret. Tu nec unquam committas ut ignavo assentationis obsequio blandiaris vitiis aliorum, maximè cum tuum est eos corrigere. *Amant homines veritatem lucentem, oderunt redarguentem.* Aug.

## S. BONONIUS ABBAS.

30 Augusti.

*Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.*

1. Joan. 2.

**O**ptima Philosophiæ pars est mortis meditatio; hæc BONONIVM puerum Mundo mori docuit, qua quidam morte ad vitam nihil est salubrius. Hinc Ægypti desertam petiit, tantamque sanctiorum civium frequentiam invexit, ut in solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceres migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoque longè plurimos jungebat mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis, post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi tectum coelum, cubile terra, culcitra cilicium cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potiùs quàm indormiebat; quò molliùs tamen jaceret, lectulum hunc suum lachrymis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam

atenam à Petro Vercellensi Antistite, cui unà cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regem exoraverat. Coenobitis Lacedensibus præesse iussus est, dum vitâ simul & munere est functus. Porro quem adgeniculari ad tumulum Divi cernis, fraternæ cædis reus est. Hunc cum supplicem Sacerdos quidem, sed non Conscientia absolveret, annos plures à domesticis furiis agitatus, malaciam tandem animo apud cineres BONONII reperit. Veniam nunciarunt ruptæ ultro manicæ, quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio induxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pulchrius tamen suspensæ tumulo BONONIUM ornant: quàm Manliani, quos olim adjecerat, torques facturi fuissent? *Ex Gabr.*

*Palaoto.*

MEDITATIO.

*De contemptu mundi.*

**I:** *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis,* inquit S. Joannes, Et quid est caro, nisi sperma fatidum, saccus stercoreum, cibus vermium? è contrâ quid est anima tua? Spiritualis; immortalis? Deo-simillima substantia, & Deo desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis; & corpus tam cædum sterquilinum curas; animam verò negligis? *Si animam negligis, nec corpus salvare poteris, nec*

K 2

*enim*



*enim anima pro corpore; Sed corpus pro anima factum est.*  
S. Bern.

2. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum.*  
Ostolida divitiarum concupiscentia. Quæ affligit laboriosis desideriiis acquirendi, Cruciat cupidine agendi, & angit metu amittendi. Immò ne decrescat cumulus, abstinent à partis multo sudore divitiis, atque ita bonis temperalibus non utuntur, nec utentur aternis.  
Eucherius.

3. *Omne quod est in mundo, est superbia vite.* Doctrina S. Chrysofomi est: propter gloriam greges famulorum, equos auro opertos, argenteas mensas & ædificia splendida expetunt homines, ut gloriosi videantur. Sed ubi sunt gloriosi illi, qui ante pauca tempora adhuc erant nobiscum? Memoria illorum fortasse superest? hæc autem quid prodest? si ubi sunt, torquentur, & ubi non sunt, laudantur Chryf.

## S. AIDANUS Episcopus

31. Augusti.

*Estote parati, quia quâ nescitis horus filius hominis venturus est.* Math. 24

**H**ic ille AIDANUS est Lindisfarnensis Pontifex, Quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum, purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) supra diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna

diver

dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga.  
 Cæterùm AIDANVS uti multùm Regibus,  
 ita plùs aliquantò familiaris mendicabilis  
 fuit. Ex his cùm uni æquum donâset phaleris  
 regiis superbum, & Oswini (frater is erat  
 Regis) nobile donum, succensuit nonnihil  
 Oswaldus & objurgavit AIDANVM. At  
 cùm hic pauca pro se dixisset, atque in tan-  
 tùm quæsiuisset ex Oswaldo, plùsne equum  
 hominis mancipium, quàm in paupere ho-  
 mine Dominum Christum adamaret? conti-  
 nuò in se se primò Rex, mox deinde in genua  
 coram AIDANO descendit, & à Pontificia  
 tiara veniam regiæ coronæ rogavit. Et abstulit  
 non hanc tantùm, sed mortis etiam beatæ  
 nuntium, cùm modestissimo Rege non digna  
 jam esse superba regna dictitaret AIDANVS.  
 Porrò cùm hic in iratum mare oleum immi-  
 sisset, oleo mitius etiam mare vidisses. Flam-  
 mas quoque, quas tyrannus Penda urbi inji-  
 cere parabat, in suas partes traxit & a versas ab  
 urbe in hostes armavit. Ita victore vita abiit  
 non sine triumpho, quem diuus Cuthbertus  
 tunc puer ducere illum in cœlum vidit multo  
 lumine nobilem. O triumphum tuum AIDA-  
 NE sequi etiam nos pileati olim possimus!

Ex V. Bedæ hist. Eccl. lib. 3.

K 3

ME-

*De preparatione ad mortem.*

1. **S.** Aidanus monuit Oswaldum ut ad mortem se-  
compararet, Optime præparamus nos, si bo-  
na opera præmittimus, quamdiu sumus in via, *Lucerna*  
inquit Dominus, *ardentes in manibus vestris, & vos simi-*  
*les hominibus expectantibus Dominum suum.* Lux bono-  
rum operum luceat ante vos. Multi differunt bene-  
facere, dum vivunt. Volunt modò benefieri pro se  
ab aliis post mortem, interim illi sine lucernâ ardente,  
quæ est charitas, & sine comitatu bonorum ope-  
rum, ambulant in tenebris, & ruunt in in-  
teritum. *Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam*  
*non est apud inferos invenire cibum.* Eccles. 9,

2. Optima præparatio est prævidere mortem. Pec-  
cator morte imminente illuminabitur duobus lumini-  
bus. Rationis beneficio agnoscet stultissimū se fuisse,  
quod in acquirendis fragilibus & momentaneis bonis  
laboravit: fidei lumine videbit supplicia, quæ suis cri-  
minibus promeruit. Sed heu! seriùs videt quæ longè  
antè videre debuerat. Peccator, *dormit, & oculos aper-*  
*it, quia cum carne moritur, anima ejus videre cogitur,*  
*quod prævidere contempsit.* Greg.

2. Optima præparatio ad bonam & sanctam mor-  
tem, est bene ac sanctè vivere. Mors Echo vitæ est.  
*Heu! quid faciam? vivere erubescio quia parum pro-*  
*ficio; mori timeo quia non sum paratus.*  
Bernardus,